



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Deus non est pars compositi per se. cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

VII.

Ad primum respondetur non solum repugnare Deo, rationem incompleti sed etiam imperfectiones alias, quæ cum ratione entis completi manent in creaturis componibilibus per accidens cum alijs: verbi gratia potentia passiva, & mutabilitas, qua manet in substantia completa respectu accidentium, quibus perficitur: & ita, licet eiusmodi componibilitas non extrahatur, cui conuenit, à completo esse essentiali secundum suam speciem, supponit tamen eiusmodi essentiam non esse simpliciter perfectam, sed carere pluribus perfectionibus: quæ suppositio destruit rationem actus puri infinite perfecti, qualis est essentia diuina. Ad confirmationem respondetur componibilitatem non destruere naturam, quæ est capax ipsius: natura quippe humana ex eo, quod componatur cum accidentibus corporeis, vel etiam spiritualibus, non decedit à suo gradu. Verum, si tribuatur naturæ minimè capaci, hoc ipso censetur negari propria essentia talis naturæ: quotiescunque enim negatur à natura proprietates eius necessaria, vel tribuitur forma illi repugnans, consequenter negatur natura: at vero, si Deo tribuatur componibilitas passiva realis cum creatura, hoc ipso tribuitur ei ratio potentia passiva & mutabilitatis, quæ naturæ eius repugnant: & negatur immutabilitas, & alia proprietates: & ideo consequenter negatur eius natura. Quapropter non valet consequentia, qua ex eo colligitur Deum salua propria natura posse componi cum accidentibus, quia res creatæ integra natura veniunt in huiusmodi compositiones accidentales.

VIII.

Ad secundum argumentum respondetur coniunctiones, quarum in ea fit mentio, non esse reales ad constituendum vnum in genere entis, sed intentionales, vel in genere principij: quæ non inuoluunt aliquid Deo indecens, nec arguunt veram rationem partis in ijs, quæ ita copulantur: & prima quidem erat intentionalis secundum affectum plurium conuenientium in obiecto voluto, & hoc modo intelligenda sunt duo priora testimonia: item vnitas Dei cum mentibus beatis, vel est intentionalis quatenus est obiectum cognitum, vel in ratione principij quatenus essentia diuina subit rationem speciei intelligibilis, & vnitur intellectui in ratione vnus principij visionis beatæ: quo etiam manifestè vnitur nobiscum ad alias actiones, & hoc modo soluitur hoc argumentum, quatenus videtur repugnare primæ conclusioni: quatenus vero repugnat secun-

dæ: respondeo rationem partis propriè respicere entitatem, ad quam constituendam singulæ partes inadæquatè concurrunt: ex compositionibus vero secundis, ac tertij modi non resultat vlla noua entitas composita ex Deo, & creatura: sed solum respectus quidam inadæquatè terminati ad vtrunque: ideoque ibi non cernitur vera, ac propria ratio partis. Quod si quis admitteret Deum esse partem alicuius aggregati, verbi gratia binarij ex ipso, & Michaële constituti, non adeò absurdè loqueretur: nam pars hoc modo non tollit rationem entis completi, atque perfecti.

Deus non est pars compositi per se.

CAPVT XI.

Compositum per se est vnum simpliciter vnitate compositionis: ex qua descriptione colligitur discrimen à composito per accidens, & ab ente simplici: ab illo quoniam non est vnum, sed multa simpliciter, vnum vero secundum quid, ab ente vero simplici, quoniam hoc habet vnitatem ex se, non ex coadunatione partium. Et hoc etiam sumitur ratio partis concurrentis ad constitutionem vnus entis per se. Ea vero consistit in quadam communicatione propria, & indiuidua entitatis alicui toti, quod ex ea, & alia, seu alijs mutuo vnitis complete, atque adæquatè, ex singulis vero inadæquatè resultat, tres autem fuerunt potissimum errores existimantium Deum de facto concurrere tanquam partem ad compositionem entis per se. Primus Davidis de *David de Di-* Dinanto in lib. de diuisionibus, quem *na. to.* refert Albertus in summ. tract. 4. quæst. *Albert.* 20. memb. 2. quæst. incidente, & *D. Thom. S. Thom.* 1. p. quæst. 3. art. 8. & lib. 1. contra Gentes cap. 17. assererat autem Deum esse materiam primam inepto ductus argumento: nempe quia, si Deus, & materia prima differunt, aliquibus differentijs differunt, quæ autem conueniunt aliquo, & per oppositas differentias differunt, sunt composita: quare, cum Deus, & materia prima sint aliquid omnino simplex, nullo modo differunt, sed sunt idem prorsus. Ex alio fundamento, vt notat *Henric.* Henricus art. 29. quæst. 2. in eandem sententiam videtur inducti quidam Philosophi antiqui, quorum meminit Aristotel. lib. 12. *Aristot.* Metaph. ap. 7. negantes bonum, & perfectum esse in pri-

In primo ente: quia scilicet principia sunt imperfectiora principatis: ut patet in feminibus, sunt enim imperfectiora rebus. quæ ex illis nascuntur: cum vero Deus sit primum rerum principium, credebant esse imperfectissimum, & coincidere cum ipsa materia, quæ in rerum omnium compositionem venit. Quam opinionem videntur hausisse ex antiquis Stoicis, & Epicureis, qui non cognoscentes aliam substantiam præter materiam dicebant omnia esse vnum secundum substantiam, hoc est materiam, quam rerum omnium principium stantiebant. Secundus error fuit quorundam gentilium, quorum meminit Aueroes lib. 12. Metaphys. com. 41. Eusebius lib. 14. de præparatione Evangelica cap. 6. Augustin. lib. 4. de Ciuitate cap. 31. & lib. 7. cap. 6. & D. Thom. 1. p. quæst. 3. art. citato, qui ut idololatriam suam tuerentur, aiebant Deum esse animam mundi vel etiam cæli: ideoque mundum esse Deum non ratione corporis, sed animæ: atque adeo merito mundo, & eius partibus adorationis cultum exhiberi. Huius erroris non affertur vllum fundamentum, nisi forte antiqui illi inaniter crediderunt vniuersum esse vnum aliquod animal æternum, & immortale ex diuersis admodum partibus coalitum, ad quas continendas ne dissoluatur æternæ, & immortalis animæ nexu opus sit. Leo Papa Epist. 93. aliàs 91. ad Turibium Episcopum cap. 5. refert Priscillianitas asseruisse animam hominis esse partem diuinæ substantiæ, quem errorem dicit ex Philosophorum quorundam, & Manichæorum fontibus manasse: & Petrus Abailardus teste S. Bernardo Epistola 190. credit Spiritum sanctum esse animam mundi: tertius, & vltimus error fuit cuiusdam Almarici, ut refert Ioann. de Turrecremata in summ. Ecclesiæ lib. 4. cap. 35. existimantis Deum esse principium essentielle, & essentiam rerum omnium, quem secuti sunt Almariani, quorum meminit Diuus Thomas 1. p. vbi proximè, & lib. 1. contra Gentes cap. 26. hi vero videntur decepti argumento, quod indicat Henricus 2. p. art. 29. quæst. 1. homo, & quæuis alia res creata non solum est ens tale, ac determinatum, sed etiam est ens simpliciter: quare, cum vnumquodque dicatur ens tale ab eo, quod in ipso est determinata entitas, ac natura, dicitur quoque ens simpliciter ab eo, quod in ipsa est entitas, ac natura simpliciter, hæc vero non est alia, quam diuinitas: ergo ipsa est

principium formale rerum omnium. Alia eiusdem erroris fundamenta refert, & soluit Sanctus Thomas cap. 26. citato. Potuerunt quoque sumere occasionem ex Patrum dictis appellantium Deum esse existentium ita Diuus Dionys. cap. 5. de diuinis nominibus, & cap. 4. cœlestis Hierarchiæ. *Esse omnium, inquit, est, quæ super esse est, Deitatis*: cap. vero 1. de diuinis nominibus vocat Deum eorum, quæ sunt, essentiam.

Hi errores præbent occasionem discurrendi breuiter per singula compositionum genera, ut videamus vtrum secundum aliquod sit Deus componibilis alteri rei. Ut vero incipiam à compositione materiæ, & formæ, adeo inepta est sententia asserens Deum esse materiam rerum corporearum, ut non esset referenda, aut confutanda: sed quia habet assertores breuiter impugnatur. Quoniam materia prima est primum subiectum, ut ait Philosophus lib. 1. Phys. t. 82. & primum patiens, siue mobile carens omni virtute mouendi, ut idem asserit lib. 2. de Gener. t. 53. Deus autem est prima causa, primum mouens immotum: sed dispositio primi mouentis immobilis, & primi subiecti moti non mouentis est omnino contraria: nam dispositio mouentis est perfectio, & actus, vnumquodque enim agit in quantum est actu, dispositio vero subiecti patiens, ac moti est imperfectio, & potentialitas: & ideo Deus, & materia prima maximè distant secundum essentiam: quod optimè explicauit Augustinus lib. 12. Confession. cap. 7. cum Deum alloquens dixit. *Fecisti Domine vnū propè te, alterum propè nihil, vnum quo superior tu esses, alterum, quo inferius nihil esset*: non potuit enim aptius exprimere distantiam essentialem materiæ primæ à Deo, quam ipsam propè nihilum collocando: ex professo hunc errorem impugnant Albert. quæst. incidenti citata. S. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 8. & lib. 1. contra Gentes cap. 17. & Henric. in summ. art. 29. quæst. 2.

Ad fundamentum Dauidis responderet S. Thom. loco citato cōtra Gentes, Deum & materiam non propriè differre, sed esse diuersa: quoniam diuersum est absolutum ex eo, quod non est aliud, differens autem, ut ait Philosophus 10. Metaph. text. 12. est relatiuum: & ita omne differens aliquo differens est, diuersum vero se ipso est diuersum: & ideo diuersitas reperitur in res simplices, quæ tota sua entitate germinant negationem alterius: circa quam rationem mouet ibi Ferrar. hoc dubium: quoniam,

S. Thom.

Magn. Dion.

II.

Aristot.

Augustin.

Albertus.

S. Thom.

Henricus.

III.

S. Thom.

Aristot.

Ferrariens.

sicut differens aliqua differentia differens est, ita quoque diuersum aliqua diuersitate diuersum est: & idcirco non minus euertet rationem simplicitatis, quam differens. Respondet autem iuxta mentem S. Thomæ ibidem diuersum, ac diuersitatem dici negatiuè quali sit non idem, ac non identitas: & idè diuersum non esse diuersum aliqua diuersitate, tanquam forma, sed tanquã negatione formæ, & quamuis videatur relatiuum, quoniam diuersum ab aliquo diuersum est, tamen præpositionem illam, *ab*, non importare terminum relationis, sed negationis: dicit enim illud, cui aliquid non est idem. Quæ responsio verisimilis est. Verùm, esto admittatur diuersum importare etiam relationem, nõ proinde opus est admittere inter ea, quæ diuersa sunt, aliquam differentiam propriè dictam, quæ sit fundamentum eius relationis, sed ad id fat est ipsa natura rei diuersæ cum negatione identitatis cum altera, à qua est diuersa: differentia enim propriè dicta, vt ait Aristoteles vbi supra, est, cum ea, quæ differunt, aliquo vno differunt: id vero vel genus, vel species est: hic autem non loquitur Aristot. de ipsa relatione differentia, sed de fundamento ipsius: vult enim ea, quæ propriè differunt, habere vnum aliquod fundamentum differentia distinctum saltem intentionaliter, & cum præcisione ab eisdem: & similiter, cum ait non opus esse, vt diuersum, & illud, à quo diuersum est, sint aliquo diuersa, non loquitur de relatione, sed de fundamento illius: & ita de eam prima genera, quæ Philosophus appellat simplicia, ac primo diuersa, carent quidem differentijs propriè dictis, non tamen repugnat, vt habeant mutuam oppositionem relatiuam diuersitatis. Eodem modo esto Deus, & materia prima sint entia simplicia, possunt esse diuersa, quin propriè differant: quoniam ad hoc requiritur eorum, quæ propriè differunt, conuenientia in vno aliquo, & in altero differentia. Ad fundamentum Philosophorum, respondetur cum Aristotele falsum esse, quod supponunt, nempe principia simpliciter prima esse imperfecta: & ad obiectionem sumptam ex feminibus respondet ea nõ esse principia simpliciter prima, sed sumpta ab alijs perfectis, scilicet viuentibus, à quibus femina deciduntur. Itaque cum illi Philosophi falso putarint non esse nisi primum principium materiale, nil mirum si abeuerint: nos autem secundum veram Philosophiam astruentes vnum principium efficiens, à quo sint omnia, necessario debemus illud à materia distin-

guere: hæc enim, vt experientia constat, est in potentia, vt vero ait Philosophus 9. Metaph. cap. 8. semper potentiam in vno præcedit actus in alio, à quo scilicet reducatur ad actum.

Dicendum deinde Deum non componi cum materia instar formæ. Hanc ex professo probant Albert. quæst. incidenti citata. S. Thom. 1. quæst. 3. art. 8. cum Caiet. & lib. 1. contra Gentes cap. 27. cum Ferrar. Heruæus in 1. d. 8. quæst. 2. Scotus q. 1. ad secundum, & Andreas de Nouo Castro q. 2. art. 1. in 2. p. articuli. Ostenditur vero quoniam forma continetur, ac diffinitur materia, siue corpore, quod informat: Deus autè terminari nequit, aut circumscribi vilo corpore determinato, imò neque mundo vniuerso: vt enim habetur, Job cap. 11. *Excelsior caelo est, profundior inferno, longior terra mensura eius, & latior mari*, idè quæ caelo, ac mundo nequaquam continetur, sicut forma corpore, quod animat: Propter rationè autè sumptam ex imperfectiōne partis cap. sequenti explicandam idem ostenditur ex propria imperfectiōne formæ: nam, si est inseparabilis, dependet à materia quoad esse: id autem repugnat enti per essentiam, & à se, qualis est Deus: si autem separabilis, subiicitur actioni agentis extrinseci introducentis, & expellentis illam à subiecto: proprius enim actus indistans à propria potentia non potest non eam informare, nisi hæc per contrarias dispositiones illi recipiendæ inepta reddatur: contrariæ autem dispositiones ex ipsa potentia per se germinari nequeunt: aliud ergo habent originem, & principium efficiens: atque adeo forma omnis à materia separabilis quoad coniunctionem, vel separationem ab illa subiicitur actioni agentis extrinseci: hoc autem non cohæret cum prima causa, & ente per essentiam. Denique forma est, qua aliquid est, atque adeo ipsa per se propriè nõ est, quæ autè est ipsum ens per essentiam, nõ est aliud ratum formale vt sit, sed ipsum potius est in se, imò vero est ipsummet esse: Deus autè est ens per essentiam, vt dictum est supra: ergo non est forma, siue actus materiae componens cum ea ens vnum per se. D. Thomas citata q. 3. art. 8. vtitur hac ratione: forma informans est actus participatus: Deus est actus purus, & ens per essentiam: ergo nequit esse forma. Respondebit aliquis omne participans referri ad participatum: atque adeo, cum omnis creatura participet esse à Deo, ipsius esse dici posse participatum: & cõsequenter ex eo, quod forma sit actus participatus, nõ rectè colligi repugnare Deo rationem forma

Rectè

Aristot.

Aristot.

Aristot.

IV.

Albert.

S. Thom.

Caietan.

Ferrar.

Heruæus.

Scot.

Nouo Castro.

Job 11.

S. Thom.

Recte tamen concludit argumentum D. Tho. nam dupliciter intelligitur, Deus esse participatum primo intrinsece, ac formaliter inexistens participant, ut se habet sapientia, bonitas, ac vita creata respectu viventium: deinde vero extrinsecum tanquam exemplar, & fons ipsius esse formaliter participati: illud primum pugnat cum ratione actus puri, & entis per essentiam: hoc vero posterius nequaquam: nam esse exemplar, & originem perfectionis habet ex participatione non dicit potentialitatem, aut dependentiam ab alio: D. Tho. loquitur de priore modo entis participati, qualis est omnis forma actuans subiectum, non de posteriore, sed non est opus pluribus ad confirmandam rem ex fide certam, & ipso naturali lumine conspicuam: ad cuius agnitionem ipsi Philosophi ratione duce perueniunt, demonstrant enim primam causam esse substantiam à materiæ concretionem segregatam: non esset autem, si vel esset materia, vel actus ipsius: fundamentum Philosophorum inane est: neque enim vniuersum est animal, nec; partes eius, ut inuicem coherant, & perpetuo durent, indigent vnus in diuiduæ formæ nexu: fat est vis, efficaciaq; virtutis diuinæ, cui subordinatur concatenatus ordo causarum inferiorum, & omnia ad nutum obediunt; nā, sicut omnia fecit ex nihilo, ita in esse, ordineque conseruat: non instar animæ interius vegetantis, sed tanquam primum agens omnia vi sua, & prouidentia moderantis.

V. Dicendum vltimo, Deum non posse esse principium essentiale intrinsecum tanquam partem vltius entis per se. Ex professo traditur à sancto Thoma libr. 1. contra Gentes capit. 26. cum Ferrariens. & in 1. d. 8. quæst. 1. artic. 2. & Henric. in sum. art. 29. q. 1. fundamentum est, quoniam principium formale intrinsecum est essentiale constituto: id vero aut est determinans, aut determinatum: si determinatum instar generis, quod determinatur per differentiam, non est formaliter ipsum necesse esse, genus enim aliunde, quam ex se ipso determinatur: Deus autem, utpote actus purus, est ipsum necesse esse: ergo non potest esse principium formale intrinsecum, ab alio determinatum: principium determinans minus late patet, quam determinatum, cuius finibus continetur: quemadmodum differentia specificæ non egrediuntur limites sui generis: est item eo ipso finitum, & non ipsum esse simpliciter, quod nulla ratione determinatur: quare ratio principij determinantis repugnat deitati. Præterea nihil est sibi principium intrinsecum, nisi se-

tundum modum loquendi, quatenus in abstracto significatur tanquam ratio formalis intrinseca concreti: quare, si Deus est principium formale intrinsecum, erit alterius rei à se nempe creaturæ: hoc autem est impossibile, quoniam principium intrinsecum, & constitutum ex ipso non habent oppositionem, quoad essentialia, imo quid quid est essentialia principio, est etiā principiato: at vero de essentia Dei est ipsum esse, non vero de essentia creaturæ: Ex quo sequeretur posse enunciari de eadem re prædicata contradictoria. Ex dictis patet Deum non esse componibilem cum aliquo alio, tanquam genus cum differentia, nec e contra, neque etiam tanquam essentiam cum esse: nam essentia componibilis cum esse non includit ipsum, ut natura diuina includit.

Fundamentum erroris oppositi facile soluitur distinguendo rationem entis, siue esse simpliciter, cuius æquiocatione nititur argumentum: nam esse simpliciter sumitur vel pro esse in sua communitate, & abstractione absq; vilo additamento, aut determinatione: quomodo est actus entis in cōmuni, vel sumitur pro esse perfecto, & omnib. numeris absoluto, quale solū est ens infinite perfectū in genere entis: Deus aut dicitur ens, siue esse simpliciter posteriore modo, non priore, res vero creatæ dicuntur esse simpliciter priore hoc est absolute, & nō determinate ad certū genus entis, à rōe analoga entis communi reb. omnibus: & ideo ex eo, qd dicantur simpliciter esse, non cōcludit Deū esse principium formale ipsorum cōferens intrinsece ipsum esse: Ad testimonia Magni Dionys. responderetur esse intelligenda causaliter, non formaliter: ita respondet Hugo in com. supr. citat. locum ex c. 4. cælestis Hierarchiæ, Alber. vbi sup. D. Thom. & alij doctores: eatenus enim dicitur Deus esse omnium essentia, & existentia, quatenus res omnes habent ab ipso participatam essentiam, & existentiam: que interpretatio sumitur ex ipso met Dionysio, nam cap. 5. de diuinis nominibus, post illa verba, *ipse est esse existentibus*, quali se exponens subdit, *omnis vtrumque entis, qui est ante ens, principium, & causa, & omnia ipsum participant, & a nullo existentium recedit.* Similia fere subdit alijs in locis, ut bene obseruauit Henricus artic. 29. quæstion. secund. ad primum, quam doctrinam expressit tradidit Bernardus serm. 4. in cantica.

Restat dubiū, an Deus sit compositum cum creatura tanquā esse cum essentia, aut tanquam suppositum cum natura, aut de-

VI.

Hug. Vi. For.
Albertus.
S. Thom.

Magn. Dionys.

Henricus.

Bernard.

VII.

nique tanquam id, quod est, cum eo, quo aliquid est. Pars affirmatiua videtur colligi ex mysterio incarnationis: quoad primum quidem posita sententia D. Thomæ existimantis humanitatem assumptam carere propria existentia, & existere per existentiam verbi. Ex quo sequitur in hoc homine, designato Christo, esse compositionem ex natura humana, & esse diuinum, ex qua resultat hoc existens in humanitate. Quoad secundum, quoniam de fide est humanitatem esse vnitam hypostatice verbo diuino, ex qua vnione resultat compositum ineffabile: & ita Deus, siue verbum est componibile alteri, tanquam suppositum cum natura. Denique quoad tertium, quoniam idem verbum diuinum est homo ratione humanitatis assumptæ: atque ita interuenit hic compositio ex eo, quod est, & quo est: Verbum quippe est homo, natura vero humana est id, quo verbum est homo: qua ratione dixit Diuus Thom. 3. p. quæstion. secund. artic. quart. Verbum diuinum incarnatum habere duplicem rationem subsistendi: non ita, vt habeat duplicem subsistentiam, hoc enim esset hæreticum: sed quia habet duas naturas, in quarum altera subsistit vt Deus, in altera vt homo: & consequenter non repugnat Deum tanquam id, quod est, venire in compositionem cum eo, quo est. Exacta huius dubij explicatio pertinet ad materiam de incarnatione. Nunc vero quantum attinet ad præsens institutum, & primum modum respondetur in primis sententiam illam D. Thomæ à solis Thomistis defendi: atque adeo non cogere, vt admittamus ex natura humana, & esse, siue existentia diuina fieri aliquam compositionem, Thomistæ vero respondebunt ad hunc modum sicut ad reliquos: & quidem Caietan. 1. p. quæstion. 3. arti. 8. facile se expedit dicendo in verbo incarnato non esse compositionem, quoniam deficit tertia conditio, nempe actus, & potentia, nam verbum diuinum nullo modo est potentia, nec actus respectus creaturæ. Idem sentiunt aliqui ex alio fundamento, nempe quoniam componentia habere debent dependentiam vel inter se, vel à toto: ex parte autem verbi diuini nulla est dependentia, ita Alens. 1. p. q. 5. memb. 3. ad tertium. Richardus in 1. d. octau. artic. 3. quæstion. 1. Mayron. vero in 1. d. 8. quæstion. 7. art. 1. secunda parte art. 1. ex eo negant compositionem, quia ad eam requiritur, vt componentia sint eiusdem naturæ: At vero Diuus Thomas loco tertiæ partis citate admittit compositionem in Christo, non quatenus

est præcisè suppositum naturæ diuinæ, sed quatenus subsistit in duabus naturis, negat tamen ab illo rationem partis, quoniam hæc semper habet modum imperfectum, & completum.

Ego vero ita vtramque sententiam conciliandam puto cum sancto Thom. in 3. d. 6. qu. 2. art. 3. vt negetur esse compositio similis naturali, non negetur autem genus quoddam compositionis alterius ordinis supernaturalis, & ineffabilis. Primum patet quoniam in compositione naturali, ex esse, & natura esse est participatum, & ab ipsa natura dependens: at si natura humana assumpta existit per esse verbi diuini, id nec est participatum, nec à natura dependens. Item in compositione ex eo, quod est, & quo est, id, quod est, non habet omnimodam perfectionem, & esse à se: imo secundum se sumptum indiget participatione formarum, quibus perficiatur: At verbum diuinum, vt pote Deus, est vndeque perfectum, nec villo modo perficitur humanitate assumpta, qua est homo: quoniam ipsam, & omnem perfectionem simpliciter in eadem permitit imperfectionibus continet eminentem puram, & ab omni perfectione liberam. Denique in compositione ex supposito creato, & natura suppositum quoad id, quo distinguitur à natura, est modus quidam dependens à natura, & ipsius participatione habens, quod sit hoc, vel illud: at verbum æternum non dependet villo modo ab humanitate: & quamuis ratione ipsius sit homo, tamen absque illa est ens simpliciter perfectum, & infinitum: & ita compositiones eiusmodi in verbo incarnato plurimum distant à modo compositionum in rebus creatis. Non tamen proinde necessarium est, vt negemus ibi interuenire mirabilem quandam compositionem: nam, vbi est vnum per se non simplex, compositio intercedat necesse est: Christus, vt in duabus naturis subsistit, est vnum quid non simplex, quia constat duabus naturis realiter distinctis: ergo vnum compositione, quæ tamen careat imperfectionibus compositionum naturalium: & hoc modo Magni Dionysii capit. 4. de diuin. nominib. Damascen. lib. 3. de fid. cap. 3. 4. & 5. & alij qui referuntur in materia de incarnatione, vocant ineffabilem compositionem Christi. Si quis obijciat non posse consistere rationem compositionis absque partibus: nam omne compositum est totum, hoc autem dicitur habitudine ad partes: rōem vero partis in mysterio incarnationis negat

VIII.
S. Thom.

S. Thom.

Caietan.

Alens.
Richardus.
Mayron.

S. Thom.

Magn. Dionys.
Damascen.

Augu-

Augustin.
Magister.
Thom.
Armen.

Augustinus libro prim. contra Maximin. capit. 10. & ex ipso Magister in 3. d. 7. Diu. Thomas tert. part. quaestio. secund. artic. quart. ad secundum, & Doctores communiter. Huic obiectioni responderetur cum Diuo Bonauentura in 3. d. 7. numero 1. partem multipliciter sumi: primo dicitur id, quod venit in alicuius compositionem, siue realem, siue rationalem: secundo quod venit in compositionem alicuius, secundum rem & naturam: tertio, & magis proprie, quod venit in constitutionem alicuius secundum quantitatem. Et his duobus modis non interuenit ratio partis in composito ineffabili, praediximus maxime. Doctores autem intelligendi sunt de propria ratione partis concurrentis ad aliquid vnum in genere naturae. Ex quo patet conditiones, quas praetendit Caiet. Aens. & alij solum requiri ad compositionem naturalem constantem veris partibus.

Impossibile omnino est, etiam diuina virtute, vt deitas sit componibilis alteri, tanquam forma cum subiecto, aut natura cum supposito.

CAPVT XII.

I.

Modi illi compositionis, qui resultant ex vnione hypotastica, non suapte natura, sed ex diuina potentia, atque miraculo componentibus conueniunt. Ex quo sumitur occasio dubitandi, vtrum componibilitas cum alio in ratione naturae, quamuis suapte natura non conueniat deitati, diuina saltem virtute conuenire possit. Ea vero multipliciter fingi potest, nimirum vel tanquam formae cum materia, vel tanquam naturae completae cum altera natura: idque dupliciter, aut interueniente corruptione, ac missione virtuali ipsarum, aut vtraque integramanente: vel denique tanquam natura cum supposito alieno. Non defuerunt qui hanc partem, quatenus intelligitur de componibilitate in ratione formae possibilem existimarint: inprimis Ariani; qui, vt referunt Epiphanius haeresi sexagesimanona, paulo post medium, & Augusti. haeresi quadagesima nona dixerunt verbum diuinum fuisse corpori Christi Domini loco animae: nam factum affirmantes, hoc ipso possibilitatem admiserunt, & Ecclesia damnauit asserentes fa-

ctum, de possibilitate autem non curauit. Secundo vero modo haeretici Eutychni, qui vt vnitatem suppositi contra Nestorium defenderent, vnam quoque naturam solum in Christo agnoscebant resultantem ex duabus per confusionem ipsarum, vel per conuersionem humanae in diuinam: diuersimode enim à Patribus Eutychnianae haeresis sensus exponitur. Non defuerunt etiam, qui ex naturis integris eam compositionem astruerent, quorum meminit Iustinianus Imperator in edicto fidei ad Ioan. secundum, qui tertium componibilitatis modum asseruerint nondum legi: quamuis autem praedicti errores, quod attinet ad factum impugnari soleant in materia de incarnatione ex proprijs ipsius principijs, quod tamen attinet ad possibilitatem, hic est proprius agendi locus, abstinere tamen à fundamentis pendentibus ex facto.

Eutychniani.

Iustinian.

II.

Fundamentum primae sententiae, quatenus solum astruit possibilitatem, est, quoniam componibilitas formae cum subiecto potest abstrahi ab omni imperfectione, qua sublata non est vnde sumatur repugnantia, siquidem enti summe perfecto solum repugnat ratio imperfectionis. Antecedens vero suadetur, quoniam forma in maxime communi abstractione conuenit deitati, quae dicitur ab Apostolo, ad Philippens. 2. *forma Dei*: nec repugnat illi, quatenus formaliter causat: hac enim ratione verbum aeternum ab Augustino sermone 38. de verb. Domini in illa verba: *In principio erat verbum*, dicitur forma. Responderi potest non repugnare deitati rationem formae separatae habentis rationem causae formalis extrinsecae, siue exemplaris, repugnare tamen rationem formae coniunctae, & habentis rationem causae formalis intrinsecae, qualis est omnis forma componibilis alteri, tanquam subiecto. Contra obijcitur primo, forma informans secundum se non penderet à materia, vt patet in anima rationali, respectu cuius materia non habet vllam causalitatem, nec mutuatur ab ipsa vllam perfectionem, imo suam illi impertitur, vt constat in eadem anima, quae vitam corpori communicat: communicare vero alteri perfectionem non est imperfectio, conuenit enim Deo ad intra, & ad extra. Dicat aliquis non consistere imperfectionem in ijs, sed in coniunctione ad materiam, modus enim existendi separate est perfectior, à quo natura diuina transire poterit ad minus perfectum, si possit esse forma infor-

ad Phil. 2.

Augustinus.

Ariani.
Epiphanius.
Augustin.